

754
Disputatio Inauguralis Juridica
**SEMICENTURIAM
VARIARUM ASSER-
TIONUM**

EXHIBENS,

QUAM

Divina Favente Clementiâ,

EX AUTORITATE ET DECRETO AMPLISSIMÆ
FACULTATIS JURIDICÆ,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,

PRÆSIDE

**DN. EDUARDO FRANCISCO
GOCCLENIO,**

J. U. D. Pandect. Professore Ordinario ac in Facultate
Juridicâ p. t. Promotore,

PRO

SUMMIS in utroque JURE HONORIBUS ac privilegiis
DOCTORALIBUS rite consequendis

*Publicæ Excellentissimorum Dominorum Professorum
Disquisitioni submittit*

JOHANN. DANIEL. TRECHOVV,

Izehoâ-Hofsatus.

IN AUDITORIO JCTORUM

Horis locoque solitis ad diem 23. Maji, An. MDCCCL.

Diss. jur. civ.

RINTHELII,

HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

559, 11

89.



P R Æ F A T I O.

ANimus quidem mihi erat de certa juris materia publicè differere, sed perpendens totum jus nostrum non ab uno esse explicatum & notis illustratum, non sperabam aliquid a me dici vel scribi posse, quod non dictum vel scriptum esset prius. Quare, commentandi gloriâ doctioribus relictâ, magnorum excellentissimorumque Jurisconsultorum exemplis motus malui in præfens assertiones varias, non novas, sed partim a Dd. allegatis traditas, partim alibi & ex jure patrio desumptas, easque occasione causarum quarundam in foro ventilatarum collectas absque prolixitate academicæ disquisitioni subijcere, quàm ambitioso quodam ingenii partu iudicium incurrere, quod Gail. *Prefat. ad lect. in observ. pract.* ita profert: *Videmus plerosque suis in scriptis plenis foliis leges & jura ad ambitiosam, vanamque doctrinæ ostentationem spirare, ut vel paginas tædiosa prolixitate compleant, vel materias ipsi soli exacte & solide tractasse, & primi perspexisse videantur. Quorum scripta, si non populari, sed accuratiore deinde trutinâ pensitentur, & ad subiectas studiosè revocentur materias, partim mendosa, plerumque impertinentia, sæpe etiam falsa esse innotescet,*





Q. D. B. V.

ASSERTIO I.

Judex non de lege, sed secundum legem
 judicare tenetur, & licet lex dura sit, eâ
 tamen mitior esse non potest *l. 12. §. 1. ff.*
qui & a quib. manum. l. 8. §. 2. C. ad L. Jul.
de vi publ. cum non arbiter, sed custos
 & minister sit legis.

II.

Jus aggratiandi soli Principi, transmutatio verò
 pœnæ arbitrariæ etiam Magistratui inferiori me-
 rum imperium habenti competit, *Carpzov. pr. Cr.*
q. 150. n. 75. & 85. Struv. syntag. J. C. exerc. 49. th. 90.
 Caveat tamen Magistratus inferior, ne veliis in locis,
 ubi Princeps jus transmutandi sibi vindicat, illud
 usurpet, vel minus observatis *per alleg. Carpz. n. 79.*
& seqq. observandis, cum aliquo Reipublicæ detri-
 mento exerceat, cujus interest delicta non manere
 impunita *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. & provinciam pur-*
gari malis hominibus l. 13. ff. de offic. Præsid.



III.



Tortura, ut res fragilis, periculosa, quæ veritatem quandoque fallat in *l. i. §. 23. ff. de quest.* dicatur, eaque propter ejus usus a *Bachov. & Zeppero* plane rejiciatur, corpore delicti tamen & legitimis indiciis præcedentibus, cæterisque paribus, in subsidium, quando veritas aliter haberi non potest, recte adhibetur *tot. tit. ff. & C. de quest. Const. crim. Carol. artic. 8. 45. & passim.*

IV.

In dubio, utrum indicia ad torturam sint sufficientia vel non, Judex Principem vel Magistratum superiorem, vel Jurisperitos in civitatibus vel communitatibus vicinis vel Academiis (quod hodie plerumque fit) cum elogio consulere tenetur *Constit. crim. art. 7. & 219.* Concordat quoad Principem *Nov. 82. c. fin.* ubi expresse dispositum legitur: *Si quid autem judices audientes putaverint esse dubium, damus eis licentiam de his nunciare nobis & consulere nos, ut discant quæ necessaria sunt, & ita quod agendum est, explicent, & faciant justa simul & rationalia judicia.* Quo facit enim *Novell. 113. c. 1.* verb: *Si aliqua dubitatio judici de aliqua fiat lege, nunciet ad nostram potestatem & a nobis expectet causæ scriptæ declarationem & secundum eam decidat litem.* Consentit quoad Iperitos *l. 10. ff. de bonor. possess. plures* textus alleg. *Steph. Manz. & Zirez. ad d. Const. crim.*

V.

Si fur in mortis articulo & in patibulo, quem antea in tortura focium criminis nominaverat, exculpet,





culpet, nominationemque falsò factam dicendo seriò
revocet, aliaque indicia legitima non adsint, incul-
patus torqueri haud debet *per l. 2. ff. de SCto Silan.*
Far. de Indic. & tortur. q. 46. n. 68.

VI.

Falliti five bancrotæ in damnum creditorum
pecunias, chirographa & rationes dolo supprimen-
tes torqueri possunt, ut pecunias & rationes, quas
falvas habere negant, creditoribus indicent *Carpz.*
pr. cr. q. 119. n. 38. & seqq. ibique magno numero al-
legati Dd. Causa quidem hæc civilis seu pecuniaria
est, sed crimen à falsi & furti crimine non alienum
habet annexum, quo casu etiam in causis civilibus
locum habere torturam, docet *Carpz. n. preced. 37.*

VII.

Per furorem occidens pœnâ aliquâ afficiendus
non est, cum satis superque suo furore & ipsâ fati in-
felicitate puniatur *l. 14. ff. de off. Præs. l. 7. §. pen. ff.*
ad L. Jul. Majest. l. 12. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. 9. §. 2.
ff. ad L. Pompej. de parricid. Si tamen culpâ suâ in
furorem inciderit, nec omnis doli culpæve expers
sit, non omnimodam veniam tribuit furor *Carpz. pr.*
cr. q. 145 n. 46. & seqq. Ita etiam Amplissima Fa-
cultas Juridica Chiloniensis *d. 12. Maji 1694.* Hans
Dezen parricidii in filio ex furore commissi reum à
pœna ordinariâ absolvit, impositâ ipsi pœnitentiâ ec-
clesiasticâ, his verbis: *Daß Angeklagter von der*
ordentlichen Straffe des Kinder-Mordes billich zu
entbürden und zu absolviren. ic. Es ist aber gleichwol
Derselbe/wann er zuvor der Geistlichkeit übergeben
und



und ihm seine Missethat gebührend vorgestellet / seine
 deßfalls nunmehr habende Reue vor der Christl.
 Gemeine durch öffentliche Kirchen-Busse zu bezeu-
 gen schuldig.

VIII.

Cum patris erga filium amor & affectio dicatur
 incredibilis, pater filium magis quam Ecclesiam,
 quam se ipsum diligere, propriam gloriam (quæ
 vitæ præferri solet) gloriæ filii postponere præsuma-
 tur, in patre filium occidente dolus non præsumitur,
 sed fisco illum alleganti incumbit onus probandi
Far. de Homicid. q. 120. n. 183.


IX.

Furiosus intervalla rationis habens si deliquerit,
 tempore furoris deliquisse præsumitur *Carpzov. pr.
 cr. q. 145. n. 35. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt.
 45. n. 63.* probandum itaque eo ipso momento, quo
 delictum commissum, delinquentem

Carps. queg. q. 145. n. 34. 35. & 30.

X.

Ad furtum qualificatum per *Const. Corob. artic.
 150. & 160. in fin.* sufficit si vel cum annis vel ascen-




n. 3. 16. & seqq. intelligo non levem, sed violentam & seditiosam. Hinc v. g. effractio ædium rusticarum ex limo confectarum furtum adeo aggravare non potest, ut fur ob parvum alias furtum pœna laquei plecti queat *Carpz. d. l. n. 34. & 35.* Ubi præjudicatum & in eo ratio: weil das Eröffnen an der Leimen Wand/ vor ein gewaltsam Einbrechen nicht zu achten etc. Eandem quoque sententiam fovisse censeo amplissimum Collegium Juridicum Rostochiense, quando *an. 1695. d. 30. Julii Christoph Bernhard Bab-sauen & Henrich Meyern* per torturam a Facultate Juridica Chiloniensi *d. 3. Julii d. A.* decretam, furti cum effractione parietis ex limo confecti & fenestræ commissi convictos ac confessos à pœna suspendii responso suo absolvit, dictatâ iis pœnâ fustigationis cum perpetuâ relegatione.

XII.

Si fur ex delicto suo parum aut nihil lucretur, dominoque ex furto modicum aut nullum obveniat damnum, veluti si res furto ablata ipsi restituatur, aut aliàs recuperetur, laquei pœna locum non habet, etiamsi furtum, scil. simplex, fuerit magnum *Carpz. pr. cr. q. 80. per tot. const. crim. artic. 160. verb. wie schädlich den Beschädigten der Diebstahl seyn mag.*

XIII.

Ex furto simplici magno à pluribus commisso & quidem tali, quod ex mente *Const Carol. 160.* ultimum supplicium meretur, singuli quidem tenentur ad pœnam, non tamen ordinariam laquei, nisi furtum tantum sit, ut singulorum portio furtum efficiat magnū
arg.



arg. l. fin. ff. ad L. Corn. de Sicar. Carpz. pr. cr. q. 78. n. 37. & seqq. Si enim in homicidio a pluribus patrato ictus cujusque contemplari debet, idem quoad contrectationem obtinebit in furto, cum obligationes ex delicto omnes ex re, i. e. facto ipso oriantur *pr. J. de obl. q. ex del. l. 4. ff. de obl. & act.*

XIV.

Furtum sine affectu furandi non committitur, etiamsi res fuerit contrectata & amota §. 7. *J. de obl. q. ex delict. Far. de furt. q. 174. n. 15.*

XV.

Nasciturus quoad commodum ipsius pro jam nato habetur *l. 7. 26. ff. de statu hominum l. 2. §. 6. ff. de excusat. l. 30. §. 1. ff. de acquir. l. omitt. hered. l. 231. ff. de V. S.* Imò matri quoque prodest, quando videlicet calamitas matris ipsi nocere potest. Hinc v. g. fustigatio matri prægnanti dictata ante editum partum executioni non est mandanda *arg. l. 3. ff. de pæn.*


XVI.

Neque tamen statim post editum partum fustigari potest mulier, sed adhuc dum executio per 6. septimanas differenda est, ne forte infans corruptionem vel jacturam nutrimenti patiatur *Carpz. pr. cr. q. 137. num. 22. & 23.*

XVII.

Ex sola confessione, absque ulteriori veritatis investigatione, reus in criminalibus condemnari non potest *const. crim. art. 48. & 54. l. 1. §. 24. l. 5. §. 2. ff. de SCto Silan. l. 1. §. 17. ff. de quest. Brunnem. de process. inquisit. cap. 8. membr. 1. n. 91.*

XVIII.



XVIII.

Defensio rei ejusque innocentia per unicum testē & quamlibet probationem semiplenam, imò alia probatione deficiente, per testes alias inhabiles probari potest *Far. de test. q. 54. n. 117. Carpz. pr. cr. q. 115. num. 75. seqq.*

XIX.

Marito imperium competit in uxorem *Gen. c. 3. v. 16. 1. Cor. II. v. 3. ad Eph. 5. v. 22, 23. & 24. can. 15. caus. 3. quest. 5.*

XX.

Imperium autem illud non herile, sed regium intelligi, non in violentâ coactione, sed amicâ correctione consistere textus *ad Ephes. 5. v. 25. ad Coloss. 3. v. 19. 1. Petr. 3. v. 7.* evincunt.

XXI.

Hinc etiam Jure Civili marito uxorem absque causa verberare non licet. *Nov. 117. c. 14. in fine.*

XXII.

Ob mariti sævitiam, continuas rixas & insidias separationi quoad thorum & mensam locus est *Carpz. jurispr. Consist. lib. 2. tit. 12. def. 210. n. 15. & 17.*

XXIII.


Factâ separatione, maritus ad restitutionem dotis & illatorum, & si fructus ad alimentationem non sufficient, ad supplementum tenetur *Carpz. jurispr. consist. lib. 2. tit. 12. def. 211. n. 10. def. 214. n. 12.* ita etiam judicatū in Rev: *Consist. Münsterdorffienfi d. 24. Nov. 1698. in causa Gesen contra maritū Johan Stühmer.*

XXIV.

Pater filiæ nomine sponsalia contrahere potest, & ex iisdem filia tacens obligatur *l. 12. ff. de sponsalib.*

B

XXV.



8



XXV.

Ex annulo vel alio quodam dato non præsumuntur sponsalia, nisi præcesserit sponsalitia tractatio c. 10. X. de sent. & re jud. vel more regionis aliud receptum fit Hopp. Exam. Inst. Imperial. tit. de Nupt. q. 15.

XXVI.

Qui stuprum fatetur, partum autem se genuisse negat, pro patre infantis à stupratâ procreati tamdiu habetur, donec aliud probet Carpzov. jurispr. Consist. lib. 2. tit. 14. def. 232. ibique alleg. Schneidevv. Moller, & Mascard.

XXVII.

Per rixas in ecclesiâ sacra turbantes utique pœnâ digni sunt; scandala enim & delicta non debent manere impunita, quia tamen pœna definita non est, arbitraria locum habet Carpz. jurispr. consist. lib. 3. tit. 8. def. 96. per tot. ibique alleg. Dd.

XXVIII.

Cum nemo absque vocatione legitimâ ad functionem ecclesiasticam sit admittendus, sequitur, quod legitime vocatus extra diœcesin suam, quò scilicet vocatio ipsius se non extendit, actus ministeriales exercendi potestate non gaudeat, quod & dicta S. Scripturæ Actor. 20. v. 28. 1. Pet. 5. v. 2. innuunt. Secus autem se res habet in casu necessitatis & specialis dispensationis.

XXIX.

Probatio ex ore adversarii petita, est optima l. 1. & tot. tit. ff. de confessis. Nimis enim indignum esse, inquit Imperator in l. 13. C. de non num. pec. quod quis sua voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere.

XXX.

XXX.

Appellatio prodest etiam appellato, ut appellatio-
ni adhærere & jura sua antea non deducta deducere
possit, perinde ac si & ipse debito tempore appellas-
set *Gail. I.O. 122. n. 2. & 3.* ubi de praxi Cameræ testa-
tur.

XXXI.

Liberis contra parentes non datur remedium re-
stitutionis in integrum, cum in omnibus honor pa-
rentibus illibatus & intactus manere debeat, & perso-
narum reverentia omnem eis excludat restitutionem;
sunt verba *l. 2. C. qui & adversus quos & c.* Exceptio
est in *Nov. 155. c. 1.* ubi filia restituitur contra matrem
secundo nubentem, quæ filiam induxit ad ratifican-
das tutelæ rationes.

XXXII.

Ignoscendum est ei, qui se voluit ulcisci provocatus
l. 14. §. 6. ff. & bon. libert. l. 4. ff. ad L. Aquil. idem di-
cendum de eo, qui justum dolorem temperare non
potuit *l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult. l. 4. C. eod.*

XXXIII.

Publicum diverforium exercens tenetur etiam
invitus peregrinos recipere, & cogi potest à Magi-
stratu absque justâ causâ recusans *Mev. p. 3. dec. 63. n. 1.*

XXXIV.

Ad exercendam actionem injuriarum, injuriæ ad
animum revocatio prærequiritur *§. fin. J. de injur.*
Hæc autem non verbis tantum fieri, sed & per
signa ostendi potest *Schneidew. ad dict. §. fin. Mev.*
ad J. Lub. lib. 4. tit. 4. art. 7. n. 3.

XXXV.

Reconventio, cujus fundamentum est in *l. 14. C. de*
B 2 sent.



sent. & interloc. omn. jud. in principio litis & ante litis contestationem instituta Jure Communi simultaneo cum conventionem gaudet processu. Jure Lubecensi verò reconventus, non nisi penitus finitâ conventionem & sententiâ executioni mandatâ, reconveniendi respondere tenetur *lib. 5. tit. 3. artic. 3. ibique Mev. n. 5. & seqq.*

XXXVI.

Jure Civili fœminam æque ac masculum testamentum facere posse constat; de Jure v. Lubecensi ea non nisi certis casibus testamenti factionem activam habet *lib. 2. tit. 1. art. 10. & 14. Mev. n. 2. ibid.* Ubi casus exceptos ex articulo refert & restringit.

XXXVII.

Jure Civili ultima voluntas non debet dependere ab arbitrio alicujus tertii, Jure contra Lubecensi quandoque ad illud restringitur, dum v. g. fœmina mercatrix de bonis acquisitis testamentum condens consensû proximorum heredum indiget *d. lib. & tit.*

XXXVIII.

Eodem jure actor, qui semel ad probationem se obtulit, *wer einmahl Klage auf Beweis angestellet hat/* si postea in probatione deficiat, ad delationem juramenti non admittitur *lib. 5. tit. 7. art. 16.* Ubi expressis verbis disponitur: *Wer mit seinen angegebenen Zeugen/die Sache/warum er sie vorgestellet/nicht wie recht und anugsam beweiset/ der ist derselben Sachen fällig. Conf. Mev. ad d. lib. 5. tit. 8. art. 2. n. 3. 4. 9. & 10. it. p. 4. dec. 5. n. 2.* Ita judicatû in Ampliff. Senatu Izehoæ *d. 20. Febr. 1699.* in Sachen Margret Sagers cum curatore marito Klägerin/ contra sehl. Claus Stör

Stör



Stöcker's Wittibe und Kinder Vormünder/ quæ sententia d. 8. Junii d. A. in judicio appellationis Vier Städte Gericht confirmata est.

XXXIX.

Privilegium, quod Jure Lubecensi treuer Hand/ tribuitur, etiam ex causa mandati, locati, conducti, præpositionis, fidei alicujus concreditus competere, *Mev. ex usu fori imprimis civitatis Lubecæ ad lib. 3. tit. 1. art. 12. in addit ad n. 24.* docet. In Judicio autem Tetrapolitano contrarium observari, & privilegium hoc ad solum casum propriè sic dicti depositi restringi, ex actis in causa prioritatis Jochim und Gesche Dauen creditorum & subsequuta sententiâ apparet.

XL.

Absens utrum in loco delicti privati forum sortiantur? disputant Dd. Affirmat *Berlich.* negat *Carpz.* Apud nos, quoad mulctam pecuniariam die Brüche/ affirmativa obtinet per *Const. Frid. 3. Reg. Dan. d. 1. Aug. 1649.*


XLI.

Jure Holsatico non scripto (quod Land und Marsch Recht vocatur) fratres unilaterales ab intestato succedunt cum fratribus utroque latere defuncto conjunctis, sub hac tamen differentiâ, ut germanus 2 Pfenning / uterinus vel consanguineus tantum 1 Pfenning capiat.

XLII.

Ad emptionem venditionem, quæ solo consensu perficitur *pr. I. de empt. & vend. l. 1. §. 2. l. 2. §. 1. l. 9. princ. ff. de contrab. empt. vend.* nisi aliud placuerit, vid: *l. 17. C. de fid. instrum.* scriptura non requiritur. Nostro Jure in Marsis Præfecturæ Steinburgensis rerū immo-

immo-



immobilium emptiones intra certum tempus ab officiali Landschreiber in scripturam redigi, subscribi, & libro publico dem Land-buche inscribi curare tenentur contrahentes *Const. Christ. IV. Reg. Dan. d. 8. Dec. 1629. & Verordnung Praefecti Christiani Comitis Ranzov. sub dato 21. Julii 1662.* ubi disponitur, quod hisce neglectis, pro invalidis haberi debeant.

XLIII.

Deficiente consuetudine, in Holsatia secundum Jus Saxonicum pronuciandū *Ord. prov. p. 2. tit. 3. pag. m. 35.* Idem dicendum de civitatibus ibidem, quando Jus Lubecense deficit *priv. civit. de an. 1568.* Per Jus autem Saxonicum in alleg. locis non electorale novum, sed antiquum intelligitur *Maur. Chil. consil. 7. p. 104. n. 15.*

XLIV.

Jure Saxonico Juramentum judiciale litis decisorium ante litis contestationem & ante praestitam guarandam deferendum esse tradit *Berlich. p. 1. Concl. 28. n. 34.* In foro nostro etiam post litis contestationem illud deferre licet, modò ante litem contestatam reservatum sit *Ord. Prov. Hols. p. 3. tit. 22. in fin.*

XLV.

Jure Canonico permittitur Judici omnibus exceptionibus dilatoriis unum praefigere terminum *c. 4. X. de Except.* Jure Holsatico exceptiones dilatoriæ omnes una vice opponendæ sunt junctâ simul eventuali litis contestatione *ord. prov. p. 3. tit. 6.*

XLVI.

In causis matrionalibus quantumvis summariis locum habet juramenti delatio affirmativi. Negativum v. ad matrimonii dissolutionem tendens deferre
non



non licet, ne hoc ipso arbitrio ac potestati partium
relinquatur matrimonium dissolvere *Wesemb. p. 3.*
cons. 125. n. 13. Carpz. jurisp. consist. l. 3. tit. 4. def. 44. per
tot.

XLVII.

Non tamen in casu deficientis probationis v. g.
rea promissionem matrimonii negans semper ab-
solvenda est, sed iudex, præcedentibus promissi ma-
trimonii indiciis, juramentum purgatorium ne-
ganti imponere potest *Carpz. alleg. loc. def. 45.*

XLVIII.


Sponsalia absque testibus contracta non sunt ipso
jure nulla. Obligant enim non tantum in animæ
foro, sed & si de iis certò constet, etiam in foro exte-
riori *Lauterb. in comp. jur. ad ff. tit. de sponsal. p. m. 437.*
ibique alleg. Heig. & Gerhard. conf. Brunnem. de jure
eccles. lib. 2. cap. 16. §. 12. Dn. Stryk. in Addit. ibidem.

XLIX.

Constitutio Holsatica Regio-Ducalis de dato
Rensburg. d. 20. Dec. 1632. sponsalia sine præcedente
consensu parentum contrahere, promissumque ma-
trimonium consummare vetat, additâ pœnâ, si con-
tra fecerint liberi, ut jure parentibus succedendi
omnimodò cadant. Ex hac constitutione ad disso-
lutionem ejusmodi sponsaliorum agi non potest,
cum aliud sit prohibere, aliud irritum facere *Grot.*
de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 5. §. 16.

L.

Si res certo pretio expresso vendita, quanti vero pluris
valet, emptori donata sit, retrahens non nisi conventum
pretium offerre & solvere tenetur, cum prætenus iste pluris
valentiæ valor de vero pretio esse non censeatur *Reinking*
de retract. consang. q. 5. concl. 1. n. 51. & seqq. ibiq; alleg. Dd.





DE caelo jam scande Themis, Dea condita peplo,
 Quasque olim terras deseruisse juvat,
 Respice jam placata! Tuo nunc omnia plena
 Numine sunt: Pietas nunc rediviva capit.
 En! caput extollit Mystes diademate cinctum
 Dignus promerito, pectore jura petens.
 En! TRECHOW librat doctus, justoque bilancem
 Pondere semper ei sustinuisse placet.
 Hinc hodie Juris Doctor, Consulte, crearis,
 Doctorumque Virum consociare choro.
 Gratulor hosce novos titulos: Tibi gloria profit,
 Clare Vir, Astrææ vive, Deoque diu!

*Paucis hisce applaudere voluit Consultissimo
 Dno Doctorando*

HERMANNUS ZOLL, D. Consiliarius
 Hassiacus & Professor Juris in hac Acad Prim.

*P*remia virtuti, mi TRECHOW, tradit Apollo,
 Summo Doctoris dignus honore clues.

Ita benevolentiori affectui testando adjiciebat

CONRADUS LUDEKINGIUS,
 J. U. D. & P. P.

EN applaudo Tuis, Vir Consultissime, cœptis,
 Laurea Doctoris sit Tibi fausta precor.
 Dignus es, ut dignos studiorum latus honores
 Carpas, quapropter gratulor ipse Tibi.
 Sit Tibi, sit Patriæ, sit & omnibus iste triumphus
 Faustus, & ex voto prospera quæque cadant.

*Ita de novis, præter jam tum adeptam advoca-
 turam, honoribus Clarissimo & Pererudito
 Dno Doctorando ex tempore gratulatur*

H. E. KESTNER,
 D. & Prof. Jur. Ord.

